EXAMEN EXPOSITIONIS M.D. JULIANI CIRCA FACTI SPECIEM, MORBI, ET CURÆ IN ILLUSTRISSIMUM…



Nil ego peccavi: tua te bona cognita produnt,

Si, quod es, appares, culpa soluta mea est.

Ovid. IV. Trist. Eleg. 4.

AD LECTOREM



Ulli non hominum OEniponti in comperto est, quantas M. D. Julianus à morte Illustrissimi Comitis de Vvelsperg, cui solus per plures hebdomades remedia administravit, concitaverit turbas, identidem ingemiscens, ut à se malæ curationis culpam amoveret, Comitem illum ignorantia cæterorum Medicorum vitam amisisse, quòd nec morbi naturam attigerint, nec ei consonam adhibuerint curationem. Ferenda fuissent hæc lamenta, si iisdem aut æger levari, aut defunctus revocari potuisset ad vitam; sed cùm primùm jam acto vitæ negotio prolata, velut non petita excusatio suspecta, ita hæc accusatio non nisi ad parandam cæteris invidiam profusa videbatur; constabat enim consilium quinque Medicorum paulò ante obitum convocatorum, cæterum sine dissensionis studio, ac concordibus animis celebratum, nisi quòd quatuor eorum mali lethalis, ortæque inde febris inflamatorio - - suppuratoriæ, sedem supra diaphragma constituerint, Juliano-

verò eandem infra diaphragma in intestinis quæsierit, contra cæterorum opinionem constanter asserens, Illustrissimum Comitem nullo pectoris vitio, sed Colica, seu intestinorum inflamatione esse affectum; quam animi sui sententiam non solùm non deposuit, verùm etiam cæteris, secuta paulò post morte, ignorantiæ & malæ curationis culpam objectavit. Quibus querelis cùm urbs completetur, Consiliariis Cæsareo-Regiam Majestatem Repræsentantibus mandatu res digna visa est, ut tam Cadaver defuncti Comitis aperiretur, quàm ut quisque Medicorum, & de morbi historia, & curationis methodo suam mentem litteris consignaret.

Illi quidem negotio præesse M. D. & Institutionum Medicarum Professor Sterzinger: sectionem tamen facere M. D. & Anatomiæ Professor Egloff ex ejusdem Excellentissimi Consilii decreto est jussus: hoc verò unusquisque Medicorum pro animi sui sententia præstitit, nec quisquam eorum suam relationem vulgavit. Et cùm nec Excelsa Repræsentatio quidquam aut pro una, aut altera parte pronuntiasset, nec rescriptum Illustrissimum Viennensis facultatis Julianeæ opinioni faveret, disceptatio isthæc ipso facto si non sublata, ? o sopita videbatur. Cùm ecce! post

sesqui

sesqui-anni silentium *M. D. Juliani expositio circa facti speciem, morbi, & curæ cum epistola ad Auctorem, & quibusdam lucubrationibus in ipsam expositionem* typis publicis, ad irritandos nempe Crabrones, à Felice Perger Medico Brunopolitano divulgatur, in quibus honor & fama Professorum de Payr, & Egloff, nec non venerandi Senis Stebele: (M. D. Vvismayrio tamen, quòd post hæc inter mortales esse desierit, severior stylus pepercit:) data opera petebatur. Edito igitur hoc Herculeo partu,

Fit strepitus, crepitus, sonitus, tonitus

Plaut. in Amphit.

Sciscitantibus aliis, quis iste felix Medicus, qui [illegible] prudentiæ [illegible] vulnus unguí notavit? & cum Brunopolitanum illum esse intellexissent, jam nihil obelisco dignum expectantes, verecundissimè ponebant supercilium, dolentibus aliis sortem Juliani, quòd causæ non admodum bonæ tam infirmus Advocatus accesserit. Qui igitur hominem penitiùs noverant, mirabantur, illi, velut anseri inter olores, tantum oris & frontis fuisse, ut oleum operamque tuendæ Julianeæ dignitatis studio impenderet, iis Clientem suum efferendo magniloquis honorum nomini-

 bus,

bus, ut quidam hæc omnia per ironiam prolata credentes indignarentur, Julianum, cæterùm non ignobilem Medicum, ab hoc Brunopolitano ludificari. Operæ igitur pretium facturi erimus, si examine hoc medico: (quod non studio vindictæ, sed jure defensionis in lucem damus:) tum Benevolum Lectorem ab hujus generis Medicis abstrahamus, tum cæteros de Republica optimè meritos ab imputato ignorantiæ crimine vindicemus, tum denique novo huic Mecœnati curemus & precemur sanitatem.



EXA-

EXAMEN

Inscriptionis, seu Tituli hujus Libri.

M. D. JULIANI Viri Clarissimi expositio.

EXpositio *est perspicua & dilucida sententia explicatio: quàm parùm autem isthac bona fidei ac veritati conveniat, dum facta, faciendaque nunc simulat, nunc dissimulat, nunc fingit, nunc invertit, nunc adjicit, nunc decerpit, mox ad examen vocabimus.*

FLORENTIÆ.

F*Lorentiæ dicitur impressus hic libellus, ut à nobilissima Etruriæ urbe eidem quadam dignitas accersatur. Datur hac venia antiquitati, ut primordia urbium augustiora faciat, non autem novis Scriptoribus, ut suo partui Matrem clariorem fingant. Jam advertit hanc fraudem Clar. Lamius Novel. Florent. Num. 4. scribens:* Benche la data sia di Firenze, pure il libretto è stampato in Tirolo.

SUPERIORUM PERMISSU.

QUorum? Brixinensium? offendebantur his pagellis, molestiamque haud parvam capiebant animo. Florentinorum? hi negant in ipsorum officina eas esse excusas. Tridentinorum, aut Roboretanorum? sed horum, vel urbis nomen haud ausus est Auctor præfigere. Edidit igitur hunc luxuriantis ingenii, velut alios suos partus, sine omni superiorum permissu.



EXA:



EXAMEN

EPISTOLÆ AD AUCTOREM

FRANCISCO FERDINANDO JULIANO.

Medico pro S. C. R. Majestate Primario, &c.



I quando excitarer studio tuendæ dignitatis tuæ, quam summam in medicina faciunda republica bono comparasti &c.

Et Lippis & Tonsoribus notum est, OEniponti haud esse S. C. R. Majestatis Medicos Primarios: hos enim Vienna habet. Sed similes judicii lapsus non solum non carpam, sed ne tangam quidem; velut nec operæ pretium duco, omnia, & singula verba, atque perversa judicia afferre, & refellere, sed loca tantum præcipua, quibus aut facti, aut artis medicæ inexpertus Lector in errorem posset induci. Insul-

a

fissimam tamen non possum præterire fabulam, qua Domesticos causam mortis sciscitantibus respondisse fingis;

Medicorum ignorantia ægrum obiisse, neque ullum eorum, qui Curæ incubuerant, morbi naturam attigisse.

Sentiebant enim melius de Cæteris Medicis domestici, dolebantque, quod supremis primum diebus, cum jam de Illustrissimo conclamatum esset, in consilium fuerint adhibiti. Falsa autem falsis connectens pergis:

Non sine dissensione Medicorum circa morbi naturam transactis tribus circiter morbosæ constitutionis hebdomadis obiisse.

Quasi verò cæteri Medici omnes toto illo tempore ægroto adstitissent, cum tres illorum vix quinque integris ante mortem diebus adsciti fuerint, qui omnes eadem ipsa die in declaranda morbi natura optime convenère, repugnante solo Juliano, qui mallebat præconceptam opinionem defendere, quam emendare:

Mecum ipse cogitabam, Colicis forte doloribus affectum ægrum, quod curru eum vehi consuluisses.

O te Medicum fagacissimum! qui tanto locorum disjunctus intervallo ægrum, quem dictante Juliano curru vectum audieras, mox subodoraris Colicis doloribus laborare; velut ille, quemcum-

cumque vehi asello viderat, Silenum compellabat.

Expositionem jam tuam legi, Vir Clarissime! Cateras evolvere non poteram, cum mihi deessent eorum scripta.

Atque his aperte prodis partium studium, conditionem ingenii, atque inopiam judicii, cum ne audita quidem altera parte, dictatorio quodam fastu sententiam pronuntias non peritus Judex. Credo verò, quod, si etiam a cæteris Medicis rei veritatem prius didicisses, nunquam hac scriptitandi Colicâ inficiendus fuisses. *Quapropter videtur mihi sane rei Medica id conferre:* (liceat hæc tua verba mea facere:) *ut caute hominum sanitatem tueri, vitamque conservare tutè doceamur.* Vale.

EXAMEN

Expositionis circa facti speciem, morbi, & cura.

ARs Medica, siqua alia severiori exposita est censuræ, ut, quæ in aliis scientiis minima, atque futilia videntur, in hac, sive addantur, sive demantur, variationem inducant maximam, ut adeo, quæ in hoc expositionis examine aut adducienda, aut expungenda judicavimus, minime minima es-

se prænotare debeamus. Talia in morbi historia a Juliano præposita occursunt plura, tum ab Illustrissimo Ægro, tum ab Illustrissima ejusdem Conjuge indicata, tum ab ipsis præsentibus Medicis 17. Februarii convocatis observata, illic aut prætermissa, aut immutata; quæ propterea hic veniunt necessario supplenda. Sunt autem sequentia:

Pag. 1. Lin. 4. *præter diversos & graves, quos ab adolescentia, & juventute superaverat morbos:*

Quinam illi? nam & hos rescire interest; obnoxius nempe erat non solum acribus, serosis, & inflammatoriis defluxionibus ad oculos, sed & rheumaticis, ac arthriticis ad collum, & pectus.

Pag. 1. Lin. 6. *jam duodecim circiter ante annos incidit in hæmoptæm, seu sputum sanguinis.*

Immo ante annos viginti, seu decimo septimo ætatis suæ anno, quo morbillis; & vigesimo quarto, quo cum vitæ discrimine variolis infestabatur; nec tamen Tussis illa cruenta quiescebat, sed instabat potius cum excretione materiæ viscidæ, & respiratione nunc plus, nunc minus difficili.

Pag. 1. Lin 7. *quod subsequentibus quatuor, aut quinque annis frequenter quidem, ac facile, atque non immodica*

quan-

quantitate, tam cum tussi, quam fere sine tussi, domi, forisque, & in itineribus, quibus nihilominus Illustrium more longinquas Europæ regiones peragravit, subsistentibus viribus sustinuit.

De his assertis omnes, qui Illustrissimum hunc, etiam eodem, de quo Julianus loquitur, tempore norunt, contrarium asserunt, neque unus, ex Medicis in Germania pro ipsius salute consuetis, fuit, qui longam vitam ipsi prædiceret, ita, ut data ex hinc opera Lugdunum Batavorum petens, curationi Præclarissimi Viri Hermanni Boerhaave mensibus aliquot obtemperaverit.

Pag. 1. Lin. 15. *qui non immerito vomicam pectoris suspicatus est, atque ab ea Illustrissimum Dominum Comitem, si debitum victus regimen observasset, sine periculo evasurum prædicebat.*

Qui absolute vitam ad senectutem producendam ob halitum præsertim fœtentem non promisit, sed potius maturam mortem, nisi exactissimam servaret diætam, prædixit.

Pag. 1. Lin. 17. *quod ita evenit, quippe cessante sensim in dies excretione sanguinis, successit copiosum puris fœtidi sputum, quod plus, vel minus singulis diebus, vel cum, vel fere sine tussi pariter rejiciebat, sanguinem verò postremis temporibus vix amplius, seu non nisi unum,*

aut alterum globulum, quandoque grumosum potius, quam fluidum, raro verò floridum expuebat.

Hipocrates quidem dicit, sect. 7. Aphor. 15. *ex sanguinis sputo puris sputum malum*: forsan autem D. Auctori expositionis laudabile visum, quod sputum fuerit *paris fætidi*?

Sed ad has minutias non attendendum est; cum, nobilissimo viscere, per quod & ultima totius corporis sanguinis ad cor redeuntis gutta transit, affecto, imò consumpto alterutro pulmone *diuturnam, atque jucundam vitam quiscunque ducere possit*, teste nostro Brunopolitano *innumeris exemplis, & observationibus* sese gravidum præseferante. Vid. lucub. pag. 18. Lin. 1.

Non negandum interim, diæta perfectissima vitam medice aliquamdiu protrahi posse. Cum verò hanc accuratissime non observasset, evenit profecto juxta D. Expositoris oraculum pag. 1. *ut sine periculo evaserit*, è Corpore scilicet ad superos. Nam quidquid æger conquerebatur de doloribus, etiam ultimis ante obitum suum septimannis, tristem imaginationem, non sensationem esse illum persuadere conabatur, omnia ad affectionem hypochondriacam reducens, quod ipsus haud obscure debuit [illegible]ate dicens:

Pag. 1.

Pag. 1. Lin. 25. *præter hoc malum affectibus hypochondriacis, præcipuè obstructionibus hepatis*, (quod saniſſimum fuiſſe apertura Cadaveris defuncti Illuſtriſſimi D. Comitis docuit:) *febribus quandoque continuis, quandoque intermittentibus, item rheumaticis defluxionibus, & arthriticis jam pridem obnoxius fuit, ita tamen, ut ultimis annis non gracilior, ſed carnoſior, & robuſtior in aces evaſerit.*

Præterquam, quod plerique ex Perſonis Illuſtrium utriuſque ſexus jam multo abhinc tempore à facie colorem ſæpius mutante, genis circa oſſa malæ conſtanter rubentibus, à ſputo magis fætente, & à reſpiratione poſt motus fortiores quaſi intercepta, ſiniſtre omninò de ſibi dilectiſſimo Comite timentes, & judicantes, contrarium affirmaverint, nullus expertus Medicus, tam facilè conciliabit, quomodo perdurante ſputo ſanguinis, dein puris fœtidi, febribus continuis, quandoque intermittentibus: (quas tales fuiſſe interim tranſmittamus:) rheumaticis defluxionibus, & arthriticis doloribus vexatus, ſimul carnoſior, & robuſtior in dies, præſertim ultimis ante mortem temporibus, fieri potuerit?

Pag. 2. Lin. 4 *præ cæteris verò non tam de præſtita tuſſi cum e[illegible]retione pu-*

ris, sed etiam de stomachali, ut ipse probè animadvertebat, & dicebat, cum præsertim sedentariæ vitæ, & cibis plus indulgeret, diversis temporum intervallis conquerebatur: quæ cum magno conatu, & inflatione stomachi fiebat, ab hac verò, si flatus magna copia eructaret, atque ut plurimum humorem viscidum, album, interdum & acidum, aut amarum excerneret, se affatim levatum sentiebat.

Sensim, & ferè sine sensu à veritatis tramite magis, magisque jam deflectens lectorem ad suam hypothesin inducturus, dolosa præfatione tussim stomachalem obtendit, quòd talem Illustrissimus patiens, ex suggestione nempe hujus Medici, ipse situs partium ignarus bona fide esse crediderit, cum ejectione puris fœtidi, (quod pus fœtidum, ne prodat suam causam, humorem viscidum, album, acidum, aut amarum voluit appellare); cujus excretione utique levari potuit, cum ex diminutione materiæ bronchia molestantis, necessariò levamen subsequatur; ubi denuò vanissimè vitium stomachi obtrudit, cum ejus sanissimam actionem appetitus oppidò vigens satis indicet, rarò enim quis lautioribus mensis præter modum, ut ipse pag. 2. lin. 13. scribit, læsa jam ventriculi actione solet indulgere.

Cum

Cum autem postremis mensibus Illustrissimus Dominus Comes præter modum assiduis lucubrationibus, & lautioribus mensis indulsisset, de ingenti flatuum copia, inflatione ventriculi, & tussi, plus solito conqueri capit, accedentibus ferè quotidiè rigoribus vagis cum intermixto calore, atque etiam febrilibus alterationibus, quæ superveniente madore aliquo, aut quandoque copioso sudore noctu, vel matutinis horis, ex integro solvebantur.

Non prætermittendum notabile factum. Erat 25. Novembris 1750. cum Illustrissimus Comes, cujus corporis constitutionem paucis supra delibavimus, à prandio ad vesperam longa toga pellicea indutus in conclavi admodum calido lusui indulgeret, domum redux sudore perfusus ad liberiorem ductarum spiritum, exutus pellicea veste, frigidam aperta fenestra admisit auram, ac post tres horas somno se dedit, quem mox insolita longè ac aliàs, interpellavit tussis cum difficiliori respiratione, capitis, & constringente circa costas spurias sinistri lateris dolore: (*mit einem Klemenden Schmerzen*, verba sunt Illustrissimi Patientis:) accesserunt rigores & calores febriles ab initio quidem leviores anomalè recurrentes, sudores nocturni, ac difficilior in latus dextrum decubitus.

His

His tamen non fractus, sed animi, quàm corporis robore major, quantum potuit, lectum refugit, negotiisque urgentibus institit, utens tamen assistentia Medici sui ordinarii D. Stebele.

Vigesimo circiter post hæc die M. D. Juliano *negotiorum illi familiarium* gratia Ipsum invisenti data hac occasione exposuit, quòd nempe à prædicta die cum majori difficultate respirandi, tussi, & semper augescente dolore Thoracis circa costas spurias sinistras sursum se extendente torqueatur, lassitudine corporis, caloribus magis post pastum, & sudoribus nocturnis divexetur. Hanc verò insignem periodum ab Expositore callidè prætermissam grandiusculis litteris expositioni oportuisset inferi, ut dispicere possimus, an ægro sic constituto vomitorium hypecacuanæ cum sale absynthii conveniat, *quòd Julianus mucum ventriculi cum affectu hypochondriaco arguens libenter innuebat*, & cùm per illud non modica humoris fœtentis, & coagulatæ materiæ purulentæ fœtidæ quantitas fuisset rejecta, quam non solum præfatus Medicus D. Stebele in longa experientia Clinica senescens, & fundatissimus examinavit, sed & ipsi Domestici assistentes viderunt. Levamen quidem parvum sensit æger quoad fati-

lig-

liorem respirationem, persistentibus tamen cæteris prioribus symptomatibus; hinc jussu D. Juliani vomitorium illud repetitum fuit.

Pag. 2. Lin. 27. *hoc iterum post octiduum usus est, unde sine labore secuta similiter ejusdem humoris viscidi per vomitum rejectione, se admodum levatum sensit, ita quidem, ut diebus aliquot de flatuosa stomachi inflatione, & molesto circa Cartilaginem mucronatam conatu non amplius conquereretur, cessantibus etiam affatim febrilibus alterationibus; appetitus insuper & somnus integris ferè noctibus sine ulla respirationis difficultate laudabiliter inserviebat, ipseque consistentibus viribus ut sanus cæterequin benè valere videbatur.*

Satis Thrasonicè: usus est, usus est, inquam, & iteratò quidem hoc vomitorio, sed effectu parum felici, nam ad hoc *laudabiliter inserviebat*, ut institerit, & tussis vehementior, & major respirandi labor, & dolor, totam ferè Thoracem ex sinistro latere occupans, intensior. Et tamen *se admodum levatum sensit, sine ulla respirationis difficultate laudabiliter inserviebat, ipseque consistentibus viribus, ut sanus cæterequin valere videbatur.*

Ipse tamen Illustrissimus D. Comes præsentibus omnibus Medicis, & Dome-

medicis palam asseveravit, quod tam calores nocturni, quam dolor lateris: (non verò molestus circa Cartilaginem mucronatam conatus, utpote de quo nec verbulo conquerebatur:) nec non respirationis difficultas constanter permanserit.

Palpamus jam, cur in expositione dolor sinistri lateris circa, & immediatè subtus costas spurias ad Claviculam usque se extendens, ac respirationis angustiæ nunc callidè reticeantur, nunc e fronte præcisè negentur? In manu res est, quia ex harum confessione tota Julianea causa in pistrinum detrudaretur; Cùm enim in præconcepta opinione, pulmones nulli subesse vitio, obstinatè persisteret, ex necessaria malæ doctrinæ consecutione aut neganda, aut prætermittenda erant hæc omnia, nec non ejecta purulenta materia stomacho præcisè tribuenda. Nec hic satis sibi constans, aut certè animo pendens, tussim hanc stomachalem, an pectoralem appellare debeat? paulò post tamen insolito animi candore palam facit, se nihilominus agnovisse aliquod antiquum pectoris malum: (ad cujus notitiam ex excrementis alvinis, aut potiùs ex dissecto post mortem Cadavere pervenit:) quod tamen modestissimus hominum cer-to nomine nunquam præsumpsit baptizare.

Pag. 4. Lin. 4. *alvus item ope quarundam pillularum, quas 4. aut 5. vicibus per intervalla sumpsit, blande admodum sedulta fuit, secedentibus: (honos sit auribus:) excrementis admodum fœtidis, viscidis, flavis, cinereis, quandoque solidioribus, quandoque fluidioribus. Unde sane non solùm antiquum pectoris malum: (licet certo nomine baptizare nunquam præsumpserim:) sed etiam vitium concoctionis, & præcipuè bilis non obscurè dignosci poterat.*

Quæ iterum cum aliis ab eodem factis relationibus pugnant, in quibus efficaciter promisit, pectori nihil timendum, sed illud sanissimum esse, quod ipsum Illustrissimo ægroto constanter suggerebat.

Pag. 4. ad fin. *Cùm autem Illustrissimus D. Comes aliquoties rheda vectus domo egrederetur, neque ullo alio præter dictam tussim sensibili incommodo se gravatum sentiret, die 30. Januarii post prandium acerbissimo dolore in latere sinistro sub ultimis costis spuriis in puncto quasi contracto, & cum cruciatu veluti terebrante derepente correptus fuit.*

Præparatis jam adulterata morbi historia, ac corrupta ejus progressus relatione Lectorum animis, jam iterum alto silentio supprimens tum lateris dolorem, tum respirationis difficultatem, iisque

omnibus, quæ ad penum ipsius haud faciebant, cautissimè prætermissis, modo derepentè, velut impetu facto, *cum acerbissimo dolore, cum cruciatu veluti terebrante sub ultimis costis spuriis in puncto quasi contracto* ægrum: (quem nullo alio præter tussim incommodo gravatum inducit:) *infestante* erumpit; cùm tamen dolor ille jam multum ante hæc, sensim tamen acerbior, maximè post incauta hæc vomitoria, tensivus, gravativus, lancinans Illustrissimum patientem invaserit; qui minimè *in puncto contracto* sed uti ad nauseam usque jam toties tum ex relatione Illustrissimi Comitis, tum ejus Conjugis hausta indicavimus, per totum tractum non solum ultimarum, sed omnium costarum spuriarum sinistri lateris à vertebris dorsalibus ad cartilaginem mucronatam, & ad claviculam usque se extendebat.

Pag. 4. ad fin. *sitis statim, oris amarities, pulsus celerior, & solitò frequentior associabantur cum alvi suppressione, quin quidquam in latus sinistrum decumbere posset.*

Et nunc primùm, velut ad hoc temporis momentum adest *sitis statim*: hæc tamen jam à prima doloris invasione plus minus cum pulsu celeri, & frequenti, alternantibus rigore, & calore,

lore, plus tamen post sudores, ægrum vexaverat. Adest & oris amarities, utpote colicæ biliosæ magis conveniens, quàm sapor putridi quidquam olens; *cum alvi suppressione*, velut futuræ intestinorum inflammationis prodromo, *quin quidquam in latus sinistrum decumbere posset*. Cùm non tantùm Medici, sed et Domestici, ac hospites illustres ægrum invisentes probè observaverint, quod Illustrissimus nunquam non faciliùs in sinistrum latus inclinatus jacuerit, & necessaria quidem consecutione, quo enim in latere pus, seu humor peregrinus stabulatur, in illo æger facilius recumbit, molesto pondere minus mediastinum premente. Atque his actis præludiis: (aliis signis, aut suppressis, aut immutatis:) tandem in scenam prodit Colica flatuosa biliosa.

Pag. 5. Lin. 3. *unde mox ipse accitus perspecta signorum Syndrone dolorem istum nequaquam in morbum pectoris, sed in colicam flatuosam, biliosam procul dubio referre existimavi - quem etiam vox rauca quemadmodum in Colica biliosa haud rarò contingere solet, comitabatur.*

Quis alius tam prosperè divinare potuisset? hic verò mox Colicam flatuosam, biliosam prospexit, cujus non su-

solùm nulla aderant signa, quæ afferri possent, sed potiùs omnia huic malo minimè conveniebant.

Fluebat enim urina consueto modo, alvus levissimo clysmati egregiè obediebat, abdomen totum erat mollissimum, & tactus patiens, nullus per totum intestinorum tractum doloris sensus, aut consensus.

Sed tamen huic opinioni *vox rauca* laudabiliter inserviebat: hoc nempè ægris pus fœtidum nutrientibus minimè familiaris est, cùm & laringem lævigatissimam, & vocem clarissimam habeant. Mirum, quòd non jam nunc intestinorum inflammationem, gangrænam, sphacelumque subodoratus sit Vates medicus, quibus mox infra inducendis nunc viam sternit.

Pag. 5. Lin. 20. *Sanguis autem parum fert, sed in totum ferè crassamentum in superficie album, & gelatinosum continebat.*

Teste Illustrissimi patientis ordinario D. Siebele practico ad invidiam Expositoris celebris, Sanguis erat crusta obductus, & in sero unctiori triplici portione majori quasi natabat. Cætera adhibita medicamina, utpote affectui pectorali non inimica, ad Examen non vocantur. Neque tamen levamen adeò notabile fuit: cum nec somnus, nec major

jor respirandi facilitas: (O quoties jubemur hujus respirationis ad nauseam lectoris memoriam resticare:) nec in dextro latere decumbendi facultas redierit. Hanc igitur leves quædam tantùm induciæ, & alia longè hujus levaminis causa brevi inferiùs exponenda.

Pag 6. ad fin. *præ cæteris verò auxilii, eò quòd genium morbi hujus, seu affectus colici facile recrudescentis existentibus præcipuè flatibus, & excrementis flavis, cinereisque animadverterem, importunè admodum rogabam, ut Illustrissimus D. Comes quotidie equitaret, quod tamen hic facere renuens, se, quamprimum Stockachium in Sueviam venturus esset, præstitutam fore promisit.*

Imò conquestus fuit adeò molestum sibi hos inter rigores hyemales præscribi remedium, maximè cùm ad quemlibet motum rudiorem respirationis difficultatem, experientia edoctus, animadverteret majorem. Non offensutus tamen *importunè admodum* rogantem id genus consilii se finxit Stockachii executurum.

Pag. 7. Lin. 3. *interim die 18. Februarii post meridiem curru vectus se Halam tam feliciter, ut nullam, vel minimum eundo, ac redeundo adversæ valetudinis incommodum expertus fuerit; ubi se optimè valere tota illa die pa‑ omnibus affirmabat.*

B Ni-

patus consortio, ad sæpè teneritas *a*-*d*ctissimæ Conjugis, de ejus valetudine summè sollicitæ, ac amicorum interrogationes, qui valeat? ne eos majori mærore afficiat, tandem rogatus respondet: *se benè valere?* atque per hoc *optimè* omninò *optimè tota illa die se valere palam omnibus affirmabat*. Quàm benè enim, ne dicam optimè, hoc iter conduxerit, paucas post horas eventus monstravit; nam.

Pag. 7. Lin 7. *noctu verò parùm dormiens febrilem alterationem persensit; atque etiam post alteram diem, licet subsecuto sudore intermiserit*.

Redux quippe eadem ipsissima nocte, teste Expositore, quam insomnem duxerat, omnia superiùs enatrata Symptomata, non quidem derepente, sed sensim recrudescere sensit. Ubi Expositor, ne ab itinere Halensi infaustè suscepto id malum profectum, aut maturatum intelligamus, persuadere nobis vult, alterationem febrilem cum cæteris Symptomatibus non sensim, & ab eâ die, sed postea primum, & subitò, ac derepentè irruisse; hinc callidissimè pergit.

Pag. 7. lin. 10. *cùm autem hisce duobus diebus quibusdam sollicitudinibus, & animi pathematibus non parùm commotus fuisset, die 15 Februarij post prandium ite-*

rit, quòd abdomen molliſſimum, quòd omnis tactus patientiſſimum, quòd dolor circa coſtas ſiniſtri lateris ſurſum tantum, nunquam verò deorſum tetenderit, quòd alvus adeò libera, ut ad quodque leve clyſma depoſuerit, quòd urina non quidem magna, ſed ſufficiente quantitate eò ſæpius fluxerit, non coloris, ex flavo rubentis, ſed naturali tinctior, & craſſior cum ſpuma in ſuperficie, vixque emiſſa purulentum quid deponens, quòd ingraveſcente malo Symptomata ſenſim augmentata, quòd febres ſæpius, & vehementius recurrerint, quòd paroxiſmi longius duraverint, quòd Sudores colliquativi humidum laudabile conſumentes, identidem ſupervenerint, quòd in dies major, & pulſus celeritas, & frequentia, & mollities, & parvitas, & inæqualitas acceſſerit: hæc inquam & plura alia aut non attendenda, aut non adducenda cenſuit Expoſitor.

Pag. 7. Lin. 23. *ad hæc ſupervenient ea ſtatim remedia, quæ priore in caſu huic acerbiſſimo dolori applicata fuerunt, omni meliore modo in uſum revocare ad tollendam inflammationem inteſtinorum præfigebam; ſed vix adhibitis fomentis & unctionibus, atque uno clyſtere, cùm ea die non tam cito, quàm alia vice dolor leniretur; idcirco D. de Stebele,*

 qui

qui jam pridem Sanitati Illustrissimi D. Comitis inserviebat, non immeritò in Consilium supera citus est, qui tamen nihil admittens quòd à Colica flatulosa biliosa tam acerbus dolor, aut inflammatio fieret, sed à putredine modo lienis, modo pectoris, ut dicebat: prædicta omnia medicamenta, & præsertim oleum amygdalarum dulcium sine igne recenter extractum, quod interne sumendum adhortabar, excepta missione sanguinis ex pede, quam & ipse concedebat, omninò rejecit.

Et ecce! novam fabulam! collisurus enim cæteros Medicos, cùm ipse de misera patientis conditione actus in angustias jam propè desperasset, accitum Illustrissimi D. Comitis ordinarium D. Stebele infert modo de lienis, modo pectoris putredine disseruisse. Sed hic in Consilio quarta post hæc die celebrato, non solum nullam affecti lienis fecit mentionem, sed manibus, pedibusque cæterorum Medicorum probavit sententiam à prima die Julianeę opinioni obsistens, solum contestatus, quòd potius lienis, quàm intestinorum colica excruciatorum vitium admitteret, quamvis pro certo habeat, illud circa pectus hærere, vomicamque pulmonis ruptam subesse.

Pag. 8. Lin. 4. *itaque imprimis loco*

so-

fomentorum, quæ solùm per intervalla interpositis unctionibus superius dictis fiebant, cataplasma ex farinis seminum lini, fabarum, florum chamamillæ, sambuci cum camphora in lacte decoctis, assidue & calide applicari jubebat, quo utique dolentem partem non solum foveri, verum etiam præter modum excalefieri oportebat.

Bene igitur expertissimus senex, nullam intestinorum inflammationem detegens, fomentationes ad cruciatum patientis ultra quadraginta octo horas incassum adhibitas removeri jussit. Et cùm certissima signa haberet puris in cavo pectoris supra diaphragma effusi, ea admisit medicamina, quæ partes puri fœtido vicinas à citiori corruptione præmuniant: quod per blandum cataplasma citius in meliorem indolem redactum, & mediante circulatione reabsorptum via quadam probabili, forsan per urinam per quam aliquando sensim soluta empyemata legimus, si natura adhuc suis viribus consistens una operaretur, expellendum sperabat, cujus rei spem dabat, quòd emissa urina sedimentum puriforme statim deposuerit. Etsi revera effectus non responderit, nemo tamen dixerit, cataplasma hoc magis, quàm fomenta nocuisse.

Cæterum D. Stebele copiosiorem ef-

ri lactis destillati, cum aquis destillatis pectoralibus usum ratum omninò habuit.

Pag. 8. lin. 11. *Internè verò spretis etiam clysteribus ex oleis, & decoctione specierum emollientium, & florum Chamamillæ paratis; ad putredinem arcendam; ut ipse dicebat, sequentia medicamina sub 14. Februarii seu 2. ab invasione prædicti doloris ordinavit.*

Postquam laudatus senex Julianeis medicamentis Illustrissimi D. Comitis patientiam diu frustra vexatam intellexisset, in morbo minùs benè giudicato, nec meliùs curato tam crebiò repetitos nimiùm emollientes, & ad summé noxiam in pectoris affectibus diarrhæam disponentes clysteres iterare noluit, aliis medicaminibus effectum tentaturus.

Pag. 9. lin. 1. *quæ quidem medicamina singulis quatuor subsequentibus diebus sinè levamine, at rebus in pejus ruentibus Illustrissimo patienti exhibita fuerunt.*

Quòd nec is effectus responderit, nil mirum; cùm Julianus curandæ suæ colicæ biliosæ plures hebdomades insumpserit, rebus indies in pejus ruentibus.

Pag. 9. lin. 3. *Quapropter accersito die 5. ab insultu doloris, seu 17. Februarij ad Vesperam trium aliorum Medicorum con-[illegible], quanquam hujus complicati mali histo-*

historiam superiùs expositam, & symptomatum seriem, quibus morbus acutus inflammatorius postremo superadditus à Chronico, & antiquo pectoris satis clare distingui poterat, sigillatim retulissem, tamen ipsi dolorem acerbissimum sæpè dictum nullatenus in colicam, seu intestinorum inflammationem, ast solùm in pectoris morbum, licèt de bujus etiam morbi specie inter se dissentirent, unanimiter referebant. Siquidem prælaudatus D. Physicus de Stebele Vomicam pulmonis. D. D. de Egloff anatomiæ Prof. abscessum pulmonis suppuratum in sacco quodam veluti contentum, ac si Vomica ab abscessu differret. D. Physicus de Vuismayr pectoris empyema. D. verò Prof. de Payr affectum ulcerosum, seu pulmonis ulcus nuncupabant, ea omnes inducti ratione, quòd Illustrissimus D. Comes sputum purulentum: (quod scilicet in vas immissum aqua repletum fundum petebat:) rejiceret. nihil contra intelligere volentes, quòd jam à multis annis tam cum tussi, quàm ferè sine tussi singulis diebus plus, vel minùs prædictum sputum purulentum haberet, nec ulla hujus purgationis suppressio postremo contigerit, præterquam, quod prædicti pulmonum morbi indolentes potiùs, quàm ad tam acerbum dolorem inducendum apti sint. Hinc nullum ex his, quæ dicebant, sed aliud

 len-

longè antiquum pectoris vitium fore oportere, quod licet insanabile, tamen, cum hactenus à multis annis Illustrissimus D. Comes facilè admodum sustinuerit, tum etiam diutius sustinere posset, dumodo intestinorum inflammatio tolleretur, in consultatione asserebam.

Julianæis igitur, Stebelianisque medicamentis nihil proficientibus, rebus pridem jam pessimis adhuc in pejus ruentibus, ea ipsa die, qua signum Campanæ pro morientibus pulsari solitæ ad fundendas publicas preces pro optimo Comite sacrosanctis ad æternitatis iter mysteriis præmunito jam datum, ea ipsa die, inquam, vocantur ad hunc Illustrissimum ægrum, ad supremas mortis angustias jam propè redactum M. D. de Payr Aphorif. Prof. M. D. de Egloff anatomiæ Professor M. D. Vvismayr nunc p. m. tunc temporis Physicus Civitatis. Quam quidem provinciam hi viri, si per eos stetisset, libentius declinassent, non solùm, quòd jam actum cum Illustrissimo ægro, verùm & difficilem cum Juliano rem fore non ignorarent, maximè cùm post fatalem curæ equuratoriæ effectum de equo Julianeo, quòd olim de Sejano (*Equum Sejanum habet*) apud Gellium Noct. Attic. l. 3. c. 9. spargeretur.

Venientes igitur primo ab Illustrissima

pa-

patientis conjuge eam informationem hauserunt, quam pro emendatione expositionis Julianeæ supra in responsis attulimus. Dein cætera etiam oculis exploraturi in conclave Illustrissimi ægrotantis perducti, invenerunt illum aridum, & macilentum, genis tamen quodam rubore aspersis, cum pessima respiratione luctantem, quam conabatur ex imo pectore sedens in lecto, servo manu sinistrum Thoracis latus supra costas spurias fovente, & comprimente, educere, & una alterave vice tussi lenta, repetita, & operosa pauxillum materiæ viscosæ ex albo subobscuræ fægentis, quæ in aquam calidam immissa mox fundum petebat, tandem ejicere (unde Julianus plus omnibus vidit, dum pag. 10. lin. 13 scribit, quòd nec *ulla hujus purgationis suppressio postremò contigerit* :) quo facto summè semper debilitabatur, ut respiratio, præsertim expiratio intercipi videretur: indigebat & longa mora, postquam, captato iterum aere, ad interrogata proferre quædam verba valuit. Lingua erat scabra ex albo-fusca magis versus radicem muco obducta: halitus fætebat teterrime: sitis aderat, nec tamen appetitus, sed nec ad vomitum ullus pruritus: dolor maximus distendens cum ponderis sensu inhærebat sinistro lateri circa si-

 itum

rum costatum spuriatum, qui per totum latus ad claviculam usque se extendebat.

Et quamvis decubitus tolerabilis magis ad sinistrum, quàm dextrum latus, modo tamen nonnisi erectus in lecto, & sedens respirare poterat: apposita ad latus affectum manu, pulsatio cordis percipiebatur valida: sudores juxta relata adstantium, & ipsius ægri, instabant nocturni, maximè circa jugulum, & frontem, cum febricula continua ad noctem modò multùm intensiori, & prius quidem cum, nunc sinè rigoribus exacerbata. Postquam per vltimum Halam institutum iter allata superius symptomata recruduerunt, accedebant, si æger movebatur, animi deliquia, sæpiùs verò his ultimis diebus cum levi delirio, præsertim ad altam noctem conjuncta, ungues erant adunci, urinæ fætentes, & modicum superiùs spumam servantes: emissæ brevi post deponebant sedimentum furfuraceum ex albo, pingue: abdomen erat molle, & tactus omnis omnino patiens: alvus sat lubrica ad quævis levia clysmata sæpiùs respondens.

Quis jam, tam inops consilii, ut dicat hunc decumbentem colica, & intestinorum inflammatione laborare? quo ... tem, hæc ignorantia crassior, tanto

ca-

calumnia est major, cum publicis typis spargeretur, ægrum hunc cæterorum Medicorum ignorantia interiisse, maximè cùm non tam curationi, quàm consilio, conclamato jam vitæ negotio adhibiti fuerint.

Pag. 10. lin. 29. *tinctura aloetica cum balsamo sulphuris terebinthinato una cum reliquis sepiùs in die exhibebantur.*

Nullus convocatorum Medicorum de hoc Medicamine in consilium advocatorum saltem tunc mentionem fecit, sed potius cum indicationibus salutaribus in subjecto viribus totaliter exhausto, emaciato, nullam paracentesim amplius permittente, & velut in supremo vitæ articulo versante, nullus esset locus super pronunciata lethali prognosi hæc saltem ordinata fuerunt: aquæ cordiales antiorgasticæ, corruptioni resistentes, clysmata, fotus blandi. Et pro siti serum lactis destillatum: pro linguæ ariditate mucilago seminis cydoniorum aquis cordialibus extracti, & pauxillo Looch sani, & experti commixta: pro quadam virium conservatione brodia cauris. Et quid ultra tres Medici velut jam ad morientem vocati præstare potuissent, cùm & ipsum brodium fastidiret ægrotus?

Atque his in circumstantiis constitutum & primò, & [illegible] Illustris. pa-

tiza-

tientem viderunt prof. de Egloff. & D. VVismayr. D. Profess. de Payr tamen, D. Siebele, & D. Julianus eundem aliquoties quinque inter illos, quos supervixit dies, sic volente ægroto, inviseruot.

Et tamen horum ignorantia, & perversa tractatione dicitur fuisse extinctus, minimè verò Expositoris opera, qui hanc suam eidem solus per plures impendit hebdomades.

Pag. 9. in fin. *Tamen ipsi dolorem acerbissimum sæpè dictum nullatenus in colicam, seu intestinorum inflammationem, ast solum in pectoris morbum, licet de hujus morbi specie inter se dissentirent, unanimiter referebant.* Ipsius Juliani sententia superveniente colica biliosa inflammatoria æger necessario mori debuit quæ etiam ipsius opinione supervenit: cur ergò ignorantia Medicorum obiit? quia *in pectoris morbum unanimiter referebant, licet de hujus morbi specie inter se dissentirent*; nam D. Siebele malum lethale, quo æger decumbebat, vocabat vomicam pulmonum ruptam, & supra diaphragma effusam: Prof. Egloff abscessum pulmonis ruptum (hæc enim ipsius verba fuere:) & supra diaphragma intra pulmonem, & pleuram collectum, pusque ibidem quasi in sacco hærere conclusum: D. VVis-

mayr

mayr ex rupta vomicæ natum empyema dixit: Prof. de Payr tandem ex his relictum affectum ulcerosum, seu pulmonis ulcus nuncupabat, quæ autem hic pugna? quæ dissensio? vocabulorum nempè, queis quisque ad explicandam magis animi sui sententiam pro lubitu utebatur? unde miror ab expositione vitium dissensionis hisce viris objici, cùm ipse Expositor, & ejus lucubrator inquat, vomicam ab abscessu non differre.

Abscessus tamen nomine offenditur Pergerus, quam veniam facile damus in libris optimorum Medicorum adhuc hospiti; nam ut alios præteream, verba tantùm perillustrifs. L. B. Van SVVIETTEN Coment. Tom. 1. § 836. pag. 754. Edit. Taurin. affero, *ubi pus ex abscessu pulmonis rupto effusum* vocat.

Post hanc nominis litem progreditur Pergerus ad bellum denuntiandum definitioni contra Logicæ regulas longiori, & superflua continenti, illam maximè ridens allatam a sacco similitudinem. Ignorabat nempè censor hæc non in Schola, sed consilio dicta fuisse, cui quidam Illustrifs. & Excellentifs. D. D. Comes præsens aderat, morbi conditionem non ex stricta ad scholæ leges definitione, sed descriptione potiùs intellecturus, cui proin pluribus erat decla-

randum, quomodo pus ex rupto abscessu pulmonis sinistri lateris supra diaphragma effusum intra dictum pulmonem, & pleuram velut in sacco contineatur conclusum: usus est simili explicandi ratione præter alios plures celeberrimus Laurentius Steisterus *in compend. Anatom. pag. 117. de pleura scribens, quod constet ex duobus quasi sacculis, quorum quilibet unum latus Thoracis investit, & singulus singulum lobum pulmonis contineat*. An propterea moracem siccum dixit? nugæ! agnovit quidem ipse Julianus *antiquum pectoris vitium* quoddam, sed facta primum corporis sectione, postquam id amplius negare non poterat, cum prius tamen constanter monuerit, pectori nihil timendum esse, sed malum illud vomicam, abscessum, empyema, ulcus pulmonis cum Clar. Boerhaavio, ac cæteris Ænipontanis Medicis baptizare noluit, aliter non potuit.

Vanissimis iterum fabellis pergit Pergetus Prof. Egloff illudere, eundem inducens, ac si ad dissecantem prorupisset, dicens: *en abscessum pulmonis suppuratum in sacco veluti contentum*, ineptissime! cum ipse Prof. Egloff Excelsæ Cæsareæ Repræsentationis decreto sectionem fecerit. Nunc fingit ex incauta sectione solutum extra vasa humorem in thoracis cavitate fuisse collectum.

Nove-

overunt autem, quot quot præsentes
listitère, quanta cautela omnia incisæ
pericardium postremò tandem, post-
iam pus tenue, & fætens magnis fæ-
ssimè immersis spongiis fuit exinu-
um, ad cor ipsum commodius lustran-
um, fuerit apertum.

Nunc verò ab urina parcè ultimis
otè mortem diebus emissa hujus, humo-
s collectionem in cavo pectoris factam
uisse cum Juliano, pag. 17. lin. 3. ipse
ivinat pag. 77. lin. 5. Etsi enim urina
ion admodum copiosè, sufficienter ta-
nen, & solito frequentius fuit reddita,
juam certò delegatus commissarius à se-
o purulento, & fœtido discernere sci-
risset.

Pag. 10. lin. 7. *ea omnes inducti ratio-*
ne, quod illum, D. Comes sputum puru-
lentum: (quod scilicet in vas immissum
æquè repletum fundum petebat:) rejiceret.

Ad constituendum lethalem pectoris
affectum hac sola inductos fuisse ratio-
ne scribit Expositor, respirationis diffi-
cultatem, cæteraque in data priùs mor-
bi descriptione allata symptomata altum
silens, qui cæteros Medicos, antequam
apud ægrum convenerunt, omni opera
partim fictis, partis prætermissis veris
symptomatibus, & signis informare, ac
pro asserenda sua colica biliosa persua-
dere voluit, & persuasit etiam tamdiu,
do-

donec tum Illustrifs. D. Conjugis, tum ipsius Illustrifs Patientis relatio, tum denique coram, & oculorum testimonio exploratus ægri status, atque conditio cum symptomatibus longè aliter sese habentibus recedere à Juliani opinione juberet, ut tristem hanc necessitatem dolentes lethalem progoosio dederint; nam ut ait Perillustris L. B. Vansvvieten loco, & pag. supra laudata: *Cùm autem pus rupto abscessu inter pulmones, & pleuram collectum empyema facit illud fere semper lethale est, ubi postea de empyemate agetur, patebit hunc morbum semper periculosum esse, atque tunc tantùm spem salutis superesse, si & satis cito apertura facta, pus album, leve, æquale, fœtoris expers exeat, atque æger cætera sanus sit: (v. §. 192.) verùm in hoc casu pulmo jam ulcere exesus est: antequam empyema fiat, atque adeo patet parum spei superesse.*

Pag. 10. lio. ult. *alterius die 7. ab insultu doloris, seu* 20. *Februarii eodem persistente dolore, continuis vigiliis, & febre acuta, quæ vix unquam remittebat, succus cichorei cum tinctura rhabarbari, & syrupo de myrobolanis juxta sequentem formulam a D. Prof. de Payr, & Physico de Stebelo præscripta fuit.*

Vigiliæ illæ non fuere continuæ, sed

so-

soporibus, sopores verò subitanea ex tremulo, & intercepto quasi anhelitu expergefactione, interpolabantur: febris verò etsi majores aquisiverit vires, nunc notabiles remissiones, nunc exacerbationes admittebat. Innocenti tinctura Rhabarbarina unica tandem die tantùm tentabatur effectus, quem magni nominis Medici in supputatione Thoracis promittunt, quod hæc sine irritatione alvum subducat, vasa faciat bibula, atque secretum pus absorbentia; sed, quòd tam serò adhibito medicamini eventus minus responderit, an minùs mirum, ac illud, quòd antea injecta tot clysmatum emollientium agmina successu caruerint; quorum proin numerus meritò restrictus, & laudanum sydenhamianum amotum fuit, ægro jam in crebros sopores acto, cujus cavum pectoris pus fœtidum occupabat, aut, si Juliano credimus, inflammatio intestina adurebat.

Pag. 11. lin. 6. *Ipse autem, licet ab omni confidentia quidem exclusus, cùm iterum in consilium veniens &c.*

Pridem, penultimo nempè ante mortem die, se ait ab omni confidentia exclusum, non operâ cæterorum Medicorum, sed molestia, & importunitate sua, qua illatis in conclave ægroti pluribus tomis instabat, orabat, clamabat, ut sibi mitti credat, ipsi minimè à pectoris ma-

malo sed à sola colica biliosa mortem imminere; quem proin tam inepta dogmata suggerentem abesse voluit Illustrissimus moriens.

Prætermitto alias verè futiles censuras, v. g. quæ de particulis hæterogeneis dicuntur, ad quas explicandas Expositorem Julianum cum suo Incubatore ad Lexicon Castelli, aliosque Grammaticæ medicæ scriptores remitto. Cæterum non ægrè ferei Julianus, quòd à D. Payr diuturno Practico, & universitatis Seniore, *ea qua solet auctoritate, acriter reprehensus*, cùm nec hujus quidem viri, nec cæterorum omnium auctoritate, ac gravi pondere rationum de sua pro colica biliosa præconcepta sententia, & nil proficientibus medicamentis dimoveri potuerit.

EXAMEN

Relationis observatorum in dissecto cadavere.

Pag. 14. *Tertio. Intestina tennia, præsertim Ileon, inflammata reperta sunt; pariter, sed leviori inflammatione correptum fuit initium intestini colon.*

Ambigua sunt hæc verba, ut à lectore, maxime, qui anatomia imperitus, in fa[illegible]em adversæ partis trahi

pos-

assint, quapropter præmittendum est, quòd initium coli situm sit in dextra, atque inferiori abdominis, parte: atque illic observatæ fuerunt aliquot leves sugillationes. Ascendit dein colon supra renem dextrum, atque infra hepar primam inflexionem, arcumque sub ventriculo, secundam dein inflexionem intra lien, cui connexum est, faciens supra sinistrum renem deorsum descendit in rectum parva nerum flexura facta finiens. Et ecce! in latere, & loco, qui unicus, & solus: (cœteris abdominis regionibus singulis ab omni molesto sensu immunibus:) constanter, & maximè dolebat; in loco, inquam, ubi dolor fuit maximus, ubi inflammatio prætensa intestinorum absolutè esse debuisset, ibi colon nulla labe infectum reperiebatur, insuper nec ullum intestinum aliud, locum illum constanter, & semper dolentem, in quo acutissimum, & terebrantem dolorem Julianus finxit, occuparit, aut occupare potuit, cùm illum pure gravatum, & ab eo depressum diaphragma repleverit. *Sed & intestina tenuia præsertim Ileon inflamata reperta sunt*: quod intestinum Ileon utique nemo in anatomicis parumper exercitatus in latere sinistro, subtus hypochondrium situm esse, costis spuriis tegi, sed regionem inferiorem umbilicalem hypo-

gastricam, & ejus latera, ab ipso cognominata, potissimum implete, afferet.

Vides-ne ex his, quomodo ludamur amice lector!

At, num censendum visas in initio coli & fine ilei, ubi in cæcum desinit, hinc inde sugillationes: (quales etiam in intestinis tenuibus esse potuisse libenter admittimus:) certissimos indices esse, & morbi sedem, & causam mortis ibidem hæsisse? Jejunus sit oportet in aperiendis cadaveribus, aut cæcus, qui has non ferè semper observavit in illis, præsertim subjectis, ubi aut uno, aut ambis pulmonibus affectis liber per viscus hocce nobile sanguinis circulus sufflaminatus fuit. Et sanè, si hoc firmum, ac probabile forer argumentum, quòd, ubi sugillationes istæ, ibi & sedes; & causa morbi, necessaria consecutione inferendum esset, quòd, sicut sugillationes istæ exteriùs in cute conspiciebantur, ita illic quoque lethalis morbi sedes statuenda fuisset. Unde igitur sugillationes istæ, quas effectum, non causam morbi, aut mortis dicimus, subortæ fuere? non aliunde certò, ac quod sinistro pulmone vix non jam consumpto, & eroso, in dextro demum maximè ultimis diebus sanguinis spissi, & à pure coinquinati sicque in arteriæ pulmon[illegible] gustiis sensim accumulati

tan.

transitus impeditus fuerit, ut vel ideò cor dextrum auctis resistentiis se amplius debito modo contrahere, & evacuare nequiverit. An non debuit necessatio pariter venosi præcipuè in venæ portæ per intestina dispartitis ramificationibus reptantis sanguinis progressus sisti, hinc vasa turgere, & stases parvæ hinc inde seu sugillationes oriri? & quidem præprimis in intestinis, quorum sanguis mediante vena portæ ad hepar, ac facta dein bilis separatione mediantibus venis hepaticis ad cavam, & cor dextrum refluit, hæc verò taliter omninò contigisse dexter pulmo sanguine nigro grumescente in vasis suis turgidus, distentus, & infartus, eademque dexterum cor cum vena cava, venisque hæpaticis replentissimum, simul & lien eodem refertissimum inventum indubitanter confirmavit.

Ex quibus jam omnibus facilè nemo non intelligit, quam torta, futili, & importuna loquacitate tum expositor, pag. 17. lin. 16. tum ejus advocatus Perggrus pag. 25. lin. 15. ineptiat, dum dicit, quod *ex vitio biliey & intestinorum inflammatione necessario occubuerit.*

Pag. 14. *Quinto; ex sinistra abdominis parte propendebat, & deorsum in ejus cavum insolito modo turgebat diaphragma:*

Hujus capitis relationi M. D. & Prof. Anat. Egloff fide scientiæ, ac officii victure decreti, 5. Martii 1751. ab excelsa Repræsentatione ad ipsum dati obstricta intercessit, contestatus, ad omnium præsentium fidem provocans, rem oculorum testimonio exploratas, sequentibus dilucidandam esse: Diaphragma per humorem purulentum fœtentæ aliquot librarum pondere illic contentum in sinistro latere depressum repræsentasse saccum quasi ad trium digitorum transversorum longitudinem, ubi profundissimus, extensum, versa costas spurias propendentem, qui non solum totum illud, si diaphragma in situ naturali permanent, semper observabile concavum implevit, sedet ventriculi extremitatem majorem, item nigro, satis, ac coagulato sanguine turgidum, partemque, coli flexuram ibi facientem, partim magis deorsum, partim versus inferiorem regionis Epigastricæ marginem de- -er repertis. Hac igitur à viro fide officii obstricto, artis perito, & in munere publico constituto accepta, & cum viso reperto conformi relatione quærere mihi fas esto.

Primò quale igitur intestinum à bilo in illud effusa, inflammatione, gangræna, aut sphacelo infectum dici poscit, postquam palam est, quod, dolor constan-

ter

tet se ab ultimis costis tantum usque ad claviculam extenderit?

Secundo etsi quodam intestinum infectum fuisset, an non saltem in loco dolente manifesta lethalis inflammationis signa relinqui debuissent? Tertio an depressum violenter per purulentum in magna copia humorem diaphragma, quod superius pleura: (totum pectoris cavum, hinc & costarum tractum interius investiente inferius peritoneo) priores abdominis partes involvente, & continente; obducitur, nullius sit capax tristis sensationis? an musculosa ejus pars ad costas potissimum annexa spurias, velut per pondus deorsum tracta, insensibilibus constet fibris, ut *prædictæ pulmonum morbi indolentes potiùs, quàm ad tam acerbum dolorem inducendum aptè sint*. pag. 10? Quarto an ulla ratione probabili fieri possit, ut talis *nulla, aut vix ulla, quæ dici possit, difficili respiratione afficeretur*. pag. 56. ad quod quidem credendum admisso qualicunque tandem pulmonum vitio neque ipse Pergerus adigi poterat, quapropter libentiùs ullum inventum negasset, aut pridem cum Juliano omninò persanatum maluisset. Vid. *Lucub pag.* 20. *lin.* 25. & *ult.* Quinto quòd talis *toto morbi decursu sana mente præditus, & solum una, aut*

C alte-

altera hora ante mortem levi admodum deliratione : (quam utique *pridem confidentia exclusus* pag. 11 lin. 50. observare non potuit:) affectus fuerit pag. 17. credat Judæus Apella.

Pag. 15. lin. 7. *in pectore inventus est sinister pulmo affatim consumptus, & veluti exsiccatus, de quo pauca solum spongiosa substantia sanguine exhausta ad magnitudinem circiter duorum crassiorum digitorum tracheæ annexa, existente dextero pulmonis lobo integro, atque illæso, remanserat. Hanc autem exsiccationem, seu consumptionem pulmonis non à vomica recenter inducta, quæ nulla reperta est, sed ab illa, quam Ill. D. Comes jam aliquot antè annis passus fuit, & ipsi præclarissimus Boerhaave asserebat, sensim, ac sensim factam fuisse, omnis ratione autumandum.*

Ratio observatorum dicit: *ferè consumptus*, nec tamen addit: veluti exsiccatus; nisi forsan ipsum pulmonem exsiccandi vim habuisse credamus; verissimum tamen manet, vomicam in relicto pulmonis frusto nullam amplius repertam fuisse, poterunt enim distinctè videri loca vacua, & aperturæ, quibus dein per intervalla atrosis, & perruptis pus in pectoris cavum elapsum est; cujus cavi interna superficies, uti & superficies consumpti, & exulcerati pulmonis,

mnis, qui ad pugni compressi magnitudinem accedebat, macerata, atque olida purulentâ materiâ, quasi oblinita apparuit. Interim non ignorabit Julianus, cujuslibet pulmonis lobum majorem iterum ex minoribus constare, quos minores lobulos separati divisim bronchiorum, arteriarum, & venarum rami in & egrediuntur. Quid jam obstat quo minùs in his minoribus lobis separatim novæ vomicæ, seu abscessus in parte plurimum debilitata generentur in subjecto quoad liquida, & solida ita disposito? an non successivè has ruptas fuisse tonus ille vehementior, & ingravescens paroxismus, atque lateris dolor, pro colica infeliciter habitus, secutaque doloris remissio, atque quædam alleviatio, manentibus tamen rigoribus, & respirationis difficultate manifestè indicat? Qua de re Perill. L.B. Van Svvieten §. 836. pag. 753. ita asserit: *si post omnia signa facta abscessus, nullo pure per sputa, aliasve vias evacuato, nullaque metastasi facta ad alia loca, subitum levamen ægri percipiant, pus ex rupto abscessu in pectoris cavum illapsum fuisse demonstrat, cessante dolore; quia pus ex angustia in ampliorem locum venit.* Et licet in nostro casu sputum nunquàm omninò cessasse dicas; idem tamen Perillust. Auctor argumentum tuum in contrarium

C 2 du-

ductum responso jam prævenit, dum ait: *videtur etiam fortasse, quod quandoque tali abscesso rupto quædam pars per sputa exeat; longè major autem puris portio in septum transversum delabitur.*

Pag. 15. lin. 19 *verum superata vomica jam pridem, & subsecuta consumptione pulmonis, cùm hanc Ill. D. Comes, ut sanus hactenus substinuerit, ita, & diutius haud difficulter vitam agere potuisset, nisi dolor colicus superveniens eum arripuisset; etenim exsiccato, aut consumpto uno pulmone, altero existente integro & sano hominem sine periculo vivere innumera à præstantioribus auctoribus exempla suppeditantur.*

An innumera exempla expositor afferre possit, dubito, rara quædam admitto: *non ista mihi videre*, Perilluft. L.B. Van Svvieten pag. 751. testatur, *rarum satis casum, qui docet, diutissimè tolerari posse hunc morbum*; atque hos inter casus raros etiam hunc Ill. D. Comitem meritò reponimus, quem tali pernicioso affectu detentum per viginti circiter annos noscimus vitam produxisse. Cum tamen laudatus Perilluft. p.752. ultra fateatur: *vidi plures alios, qui morbum hunc per unum, alterumve annum tulerunt; verùm omnes erant in ætatis flore, & deficiebant tandem. In quibusdam quandoque pessimum fœtorem sputorum observavi;*

tunc-

runcque intellexi rationem sequentis pranotionis: quos suppuratos mutus habentes sputorum gravoolentia sequuntur, illos recidiva occidit. Ut ovum ovo, ita hic casus similis nostro. Nec multùm dissimilem memorat vidisse Boerhaavium, quem præmisso Hyppocratis effato hic annectimus: *si verò non possit multo tempore rumpi, neque sponte, neque à medicamentis, contabescit ager a vehementibus doloribus:* (atque adeò prædicti pulmonum morbi non semper *indolentes potius:*) *& inedia, & tussi & febribus & plerumque perit. Vidit in cadavere celeberrimus Boerhaavius, unius lateris pulmonem in Saccum:* (rogo obtestorque cum Juliano Pergerum, ne offendantur invisi vocabuli lectione:) *plenum pure conversum, adeo prodigiose magnitudinis, ut non tantùm ex sito suo dimoverit, & alterius spatium compresserit, verùm diaphragma in abdomen protruserit, & prominere fecerit, quàm horrenda autem mala mortem præcesserint à tanta distractione harum partium facilè colligitur*, ecce indolentes morbi!

Pag. 27. lin. 29. *qua vero lege ex hac mortue Vomica consequeretur, eaque sanata at prædixerat celeberrimus Boerhaavius, consumptio, & exsiccatio pulmonis, & collectio sori purulenti confecuta sint; meum non est examinare hoc loco.*

Quomodo ex hæmoptoe non curata (: quam curare in subjecto à primis annis acribus, & cathartosis ad pectus defluxionibus, obnoxio; ac variolas pessimi moris perpesso, supra vires Pergeri esse judicamus:) Vomica, seu abscessus, seu ut Claris. Boerhaavius Aphor. 1206. loquitur, ulcus pulmonale tectum nomine vomicæ tandem empyema, ac mors ipsa subsequi possit, & debeat, sat claré idem Celeb. Author Aphor. 1198. & ult. explicat: *neque enim:* (teste Galeno a Perillust Van-Vieten citato:) *cura tussim expurgari possunt; illisque tussientibus laceratur locus: itaque quasi per mutuas operas malum illis in idem redit; quæ namque lacerata sunt, rursus phlegmonem excitant, secundo iterum oportet maturari phlegmonem, & pus expurgari.*

Mire autem se torquet, & fluctuat Pergerus, qua saltem verisimili ratione possit illam in cavo pectoris sinistro post apertionem cadaveris, detectam humoris purulenti, & fœtidi plurium librarum copiam à thoracis ad intestinorum vitium avertere; modo enim ex in-cisora sectione solutum extra vasa humorem in thoracis cavitate fuisse collectum modo somniat illuc urinæ copiam confluxisse, modo pag. 28. & 29. via magis ardua, locum huoc fœtidum ex intestinis, per ductum thoracicum ad pulmones.

mones, exque his in cavum pectoris dirigit; quæ partium thoracis inflammationem, ortæ desuper suppurationis, collectique exin ichoris copiosi diaphragma ex suo situ detrudentis, explicandi ratio fae longi temporis cursum requireret; quod aut perniciosæ, ac præcoci febris inflammatoriæ intestinorum indoli directæ contrariatur, aut certò non explicare videtur, quomodo intestina inflammata intra tres, quatuorve dies tantam chili spissi, & ad inflamationem inducendam apti copiam absorbere, dein intra id tempus, & pulmo inflammari, & consumi, ac tanta ichoris copia adduci potuerit? Pappæ.

Relatis jam, confutatisque præcipuis hujus causæ capitibus, cùm singula refellere *vix dignum videbatur lucubratione aniculaarum*. Lucub pag. 34 in fine.

Te jam amicè compello Pergere! si Julianus per plures hebdomades hujus Comitis curationi incassum incumbens, tum vomitoriorum, tum importunæ vectionis remedio malum exacerbavit magis, quà o levavit: si relationem, expositionemque suam non, qua par est, fide instruxit, si supremis diebus Medici in dignoscenda morbi natura optimè convenerunt si acta jam peopè vitæ scena reipsa remedium haud erat super: si

non.

non nisi per calumniam ignorantiæ poterant accusatis si dissensiones inde ortæ per modestum illorum silentium jam fesè sopitæ, atque compositæ: si propterea ipsa excelsa Cæsarea Repræsentatio, Illustre collegium Medicum Viennense ad fovendam concordiam, ingrata tibi prudenti pressit silentio, si inquam, hæc omnia te minimè lateant, quæ denique prurigo ad edendam hanc cum tuis lucubrationibus Juliani expositionem te impulit? an studium tuendæ dignitatis ejusdem? atqui hoc ipsum adversum te, & expositorem huic examini propositum est. Si ipsus autem conceptam opinionem suam aut tueri noluit, aut non potuit, quomodo tu Brunopolitanus posses? ausus es tamen Virorum in publicis Cathedris docentium, aut felici, & numerosa praxi senescentium famam, existimationemque his publicis pagellis atterere, ut, si quod humanitàs errarum admisissent, toti orbi innotesceret, quis hic modus, quæ moderatio? *an hac objurgatione Medicos nostros pro Expositore publicis muneribus defungentes à te corripiendos esse censes? Epist. ad Aut.* Si ita est, vel inviti ad defendendam suam dignitatem, propulsandamque objectatæ ignorantiæ injuriam umbonem obvertere jubentur. Si vero rei Medicæ hoc

suum

tuum opusculum conferre tibi videatur, rem quidem optimam, sed præter mentem, & voluntatem, ac alieno ab animo tuo consilio id adornasti, cùm hac ratione & Juliani & Pergeri, & cæterorum etiam Medicorum, & cognoscendi, & curandi, & exponendi morbum methodus in conspectu omnium posita sit, quod ipsum etiam Reipub. multùm confert, *ut cautè hominum sanitatem tueri, vitamque conservare tute doceamur: in Epist. ad Auct.* Sed nisi mea me vehementer fallit opinio, nec expositoris, nec rei Medicæ, nec reipublicæ, sed tui, captandique fumi publici amore publica hæc, & clamosa dimicatio suscepta est, nempè ut non solùm possit Brunopoli ostendi digito, & diciet: hic est vindex, & assertor causæ Julianeæ, verùm & per novellas Florentinas è tenebris ad lucem, è vulgari hominum luto ad gloriam eorum, qui hoc ævum suis litteris illustrarunt, efferri, quam tibi tua alia in Rempublicam merita, minimè tribuissent. Sed & hanc nominis umbram si non faciliùs, certò modestiùs consequi potuisses, si non huic invisæ expositioni cum tanta in alios Medicos redundante invidia, sed potiùs elaborandæ Historiæ Tyrolensi, quam utique majori fide contexes, tuam operam impen-

impendiffes, maximè cùm id opus vel amici tui, de jam præmumerata pecunia folliciti, calidè expectent. Quod ut facias, precamur, ac valeas, & sapias.

F I N I S.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del *P. F. Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Examen expositionis M. D. Juliani circa facti speciem morbi, & cura in Illustrissimum Comitem Carolum Vueisfergium, nec non lucubrationem ad eamdem Julianeam expositionem a Felice Perger Medico Brunopolitano editarum*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi concedemo Licenza à *Lorenzo Baseggio* Stampator di Venezia, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 10. Agosto 1754.

(Daniel Bragadin Cav. Proc. Ref.
(Marco Foscarini Cav. Proc. Ref.

Registrato in Libro à Carte 57. al N. 42.
Giacomo Zuccato Segr.

Adì 17. Agosto 1754.
Registrato in Libro dal Magistr. Eccel. degli Esec. contro la Bestemia.
Gio: Battista Battisti Segr.